

Josuaë nullatenus est in dubium revocandum. Ex ejusmodi autem epicediis libros Josuaë & Regum esse collectos, nemini persuadebitur.

§. XIV.

A Græcis ad Latinos si procedamus, Hieronymi sententia inquirenda est. Hic in *Comment. ad Jes. cap. XLIII. v. 22.* occasione vocis Israel sequentia de libro Recti scripsit: *Alio nomine Israelem vocat, Isurun enim verbum Hebraicum, ceteri יִשְׂרָאֵל, sive יִשְׂרָאֵל i. e. rectissimum, & rectum interpretati sunt: Soli LXX. dilectissimum, jungentes de suo, Israel. Proprie enim juxta Hebræos & literarum fidem, Israel rectus DEi dicitur; Vir autem videns DEum, non in elementis, sed in sono vocis est. Unde & liber Geneseos appellatur יִשְׂרָאֵל id est, justorum, Abraham, Isaac & Israel. Nec dissentit in *Comment. in Ezech. cap. XVIII.* Et si Balaam vanum populum sonat, perspicuum est, quod vanus prius gentium populus desideret habere consortium, cum animabus justorum Abraham, Isaac & Jacob, qui יִשְׂרָאֵל, i. e. recti & justi nuncupantur, unde & Geneseos liber ex eorum vocabulo nomen accepit. Ex his verbis patet, nostrum librum Recti Hieronymo Genesin fuisse. Si vero evolveris, quæ supra §. 12. ex *Avoda Sara & Breschith Rabba* adduximus, videbis, Talmudistas eandem fovisse sententiam. Existimamus ergo haud absque ratione, Hieronymum Præceptori suo Judæo auscultasse, nec ex proprio judicio semper scripsisse. Uti vero ex rationibus supra adductis Genesis non potest esse liber Recti; sic nec Hieronymi judicium est ferendum. Nec est, quod existimes, eundem sententiam suam mutasse, quia in *Quest. s. Tradit. Ebr. in Libr. Reg. T. IV. f. 108. col. 2.* hæc profert verba: *Liber justorum liber Samuelis est, ubi continentur Prophete justis, Samuel videlicet, Gad & Nathan: in quorum libro scriptum esse perhibetur, qualiter Saul recedens a timore Domini per inobedientiam suam periit. Hunc enim tractatum merito ab Erasmo & Benedictinis Hieronymo abjudica-**

fi,